



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Quo modo frigida efficiatur oratio. Cap. III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

ribus, in medium afferūt, eas, quod minimè neceſſè eſt, vt  
 refellant; & interdum, quaſi cum doctiſſimis hominibus  
 diſputent, crebris argumentis et conciſis ſententijs, nè ſu-  
 peruacanea dicere videantur, vtuntur; & cum breues  
 eſſe laborent, obſcuri fiunt; et, quod vix tolerabile eſſe vi-  
 detur, antiquas & confutatas hæreſes commemorantes,  
 cum maximè vitent vſitata & ſuperuacanea dicere, pa-  
 rum fructuoſa atque etiam pernicioſa dicunt. Monemus  
 nos clericos, vt præceptum S. Franciſci, oſtentionis mi-  
 mici acerrimi, ſequantur: qui, ſui ordinis concionatores  
 ita inſtituit, vt virtutes & vitia, gloriam & pœnam, cum  
 breuitate ſermonis, audientibus proponat. qua verba vti-  
 nam non ſolum in clericorum, ſed etiam in omnium, qui  
 in hac nobiliſſima arte verſantur, animis imprimantur.

Quo modo frigida efficiatur oratio.

Cap. III.

**F**RIGIDITAS in oratione, ineptiæ filia, clericis  
 vitanda, eſt; quæ ex his cauſis oritur; cum audent ho-  
 mines nomina conſingere; figurarum varietate confun-  
 dere, & miſcere orationē: quod accidere interdum con-  
 ſuevit hominibus, linguam Hebræam & Græcam oſten-  
 tantibus; qui interdum ſine vlla neceſſitate, eandem rem  
 tribus nominibus explicare conantes, nihil minùs aſſe-  
 quuntur, quàm quod ſibi propoſuerunt: eorum enim fri-  
 geſcit oratio. Frigidam efficiunt orationem ſuperuacanea  
 epitheta; vt ſi quis dicat, benigna manſuetudine commo-  
 tum, & prudenti ſolertia. frigida erat oratio illius, qui  
 nunquam B. Paulum nominabat, quin Tarſenſem dice-

ret; nunquàm Dauidem, quin serenissimum adiungeret; sic à natura formati sumus, ut nobis superuacanea molestiam afferant: Animi sensa ità explicanda sunt, ut facillè intelligantur: & oratio est adhibenda, tanquàm instrumentum, diuinitus nobis datum, ad instruendos alios. Verùm quoniam sæpè frigidam & exanguem orationem efficit languida & penè mortua quorundam actio; de actione dicamus aliquid.

De actione, qua qui caret, vix ad dicendum aptus esse potest.

Cap. IIII.

**A**CTIONIS magna vis est; ut reperti quidã sint, qui sine doctrina, sine etiam delectu verborum, sola actione, maiorem in dicendo laudem sint consecuti, quàm doctissimi viri, verborum etiam copia abundantes. Quarè orator ille summus interrogatus, quid primum, quid secundum, quid tertium arbitraretur in oratore, respondisse fertur: Pronunciatio. Est autem pronuntiatio, in voce & in gestu posita, & vocis moderatione perficitur, nè ab oratione discordet. Aliud enim vocis genus, nempè acutum & concitatum, requiritur ad exprimendum zelum Dei: aliud, abiectum scilicet & demissum ad recreandum, timore & conscientia peccatorum perterritum animum. Sancto gaudio perfusus, leni quadam voce & remissa utitur, dolore commotus, vehementi quodam & graui sono, proprium exprimit dolorem. Oculi dicuntur principes in pronuntiatione; quorum intentione & remissione, coniectu et hilaritate, affectiones exprimuntur: ità ut elegàter doctus vir actionem appellauerit sermo-